

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV

Weidenfeld, Johann S.

Londini, 1684

18. Spiritus Vini Basilii

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

Scriptam Recepti methodum non semper necesse est istud in liquidam reducere substantiam; illud enim, & Menstruum inde confectum differunt, eò quòd in Cœli confectione unctuositas Spiritus Vini Phil. superaddita, & jam prævalens absorpserit, & dissolverit salis harmoniaci ariditatem. At hoc, à majore Oleosi quantitate, hoc modo plus justo dilutum, multum de suis amittit viribus, & ad aridorum dissolutiones minus fit idoneum. Jam verò si sal Tartari sit volatile, ipsum Menstruum in forma sicca, inscitè quidam illud Menstrui Philosophici supplere locum dixere, quod tamen rectè & optimè dictum, si Menstruum corrosivum quod nobis minerale dicitur, intelligatur; cujus locum sal Tartari volatile, ceu Menstruum vegetabile, in variis occasionibus supplere potest.

Quemadmodum verò sal harmoniacum hoc, Spiritu Vini Phil. in liquidam substantiam redactum, Cœlum Vegetabile nobis componit; ita Spiritu Vini com. dissolutum, facit Spiritum Vini Basilii; dissolutum cum aceto, Acetum nostrum; dissolutum cum Aqua Forti, Aquam Regis Philosophorum, & sic de pluribus aliis. In præsentibus suum habet locum prædictus Basilii Spiritus.

18. Spiritus Vini Basilii, In fine Libri Revelat.

Re. **V**Inum Album generosum (commune) & destilla modo solito, ut ex eo fiat Aqua Vitæ fortis in vesica, quam in phiala rectificata, & separa phlegma, Aqua Vitæ hæc ita probatur; si in vase vitreato incensa comburatur tota, nihilque aquositate post se relinquat; sin autem remaneat quid, destilla adhuc semel aut bis, juncturis optimè clausis, ne Spiritus volatilis Vini exhalet. Aquam Vitæ sic destillatam, & optimè rectificatam, (cave autem, ne inter destillandum candelam admoveas, ne tibi noceas) in aliâ phialâ cum mensurâ hujus Aquæ Vitæ jungas uncias tres Tartari optimè sublimati, ut phiala ad medietatem plena sit, apposito alembico & recipiente satis amplo, destilla in Balneo Mariæ lentissimè propter Spiritus volatiles, relicto in fundo parùm Aquæ Vitæ, & inter destillandum humidis pannis refrigerato alembicum, sic Spiritus citius resolvitur, & in Recipientem transit. Hic

Hic est iste Vini Spiritus, quo Basilius passim usus est, præsertim in Conclusionibus suis, ubi per Vini Spiritum corpora tam Metallica, quam mineralia redigit in Olea. Quisquis alium ejus loco sibi imaginatus fuerit Spiritum, necesse habet, ut sibi caveat, ne dicti veritatem damno suo experiatur. Datur quidem adhuc alia ejus Vini Spiritus descriptio in Appendice Elucidationis, quæ tamen à priori non differt, nisi quod in superiori descriptione legebatur sal Tartari volatile; hic vero legitur sal armoniacum optimè sublimatum. At ea esse Synonyma jam modo patet ex Lullii Recepto. Quodcumque enim sal sive fixum sive volatile Spiritui Vini Phil. conjunctum sublimatumque fuerit, Sal volatile nostrum, Sulphur naturæ nostrum, & Mercurius sublimatus noster dicitur, quibus promiscuè ceu salibus Philosophicè sublimatis uti licet; utraque enim salia ista (Tartari & salis armoniaci) ex una eademque forsitan materia, confecta fuerunt à Basilio. Hoc autem ejus Menstruum Cælo vegetabili Lullii minùs forte est, etiamsi ex eodem sale Tartari æquè sit ac istud præparatum. Basilius enim hujus salis diminuit virtutem Spiritus Vini communis additione; cum Lullius idem efficiat opus sed Vini Phil. Spiritu. Ast Basilius suum aliquando etiam Lullii Cælo Veg. fortius Menstruum reddidit, separando Spiritum Vini Com. à sale armoniaco Philosophico, quod quidem duplici peregit modo.

Primò accendit Menstruum in vase cupreo ad usum hunc destinato, ut Spiritus Vini Communis comburatur, sal armoniacum verò Vegetabile per se remaneat in liquidam substantiam redactum. Modus est iste.

19. Spiritus Vini igneus Basili, .

Loco ut supra.

Re. Spiritum Vini antecedentem ad hanc Spiritus ignei præparationem idoneum. Conficiatur Instrumentum ex Venere quod in medio, infra & supra foramina, tolli potest, prout & supra mediam cucurbitam: Impone alembicum cum tabulo, omnia ex Venere sint præter recipientem, qui sit ex vitro, quem pone in vase ligneo in aquam & supra pannis humidis

H 2

tege,